Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

somno premitur ad iustitie vigilias exurgere conatur. Sed sepe cum surrexerit, ipse extolli se magnitudine virtutum sentit. Unde temptari se prius in vite adversitatibus post virtutes desiderat, ne peius ex confidentia virtutum cadat. Si enim servari se melius per temptationes non cognosceret, nequaquam propheta dixisset: Proba me domine et tempta me. Pastor. titulus xlvi

Homo apostata vir inutilis graditur ore perverso

Homo apostata vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum et in omni tempore iurgia seminat. Ecce quem seminantem iurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit, quia nisi more superbientis angeli a conspectu conditoris prius intus a visione mentis caderet, foras postmodum usque ad seminanda iurgia non veniret. Qui recte describitur quod annuit oculo, pede terit, digito loquitur. Interior namque est custodia que ordinata servat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras in inconstantia motionis fluit atque exteriori mobilitate indicat quod nulla intus radice subsistat. Audiant iurgiorum seminatores quod scriptum est: Beati pacifici quoniam filii dei vocabuntur. Atque e diverso colligant quia si dei vocantur filii qui pacem faciunt, procul dubio sathane sunt filii qui confundunt. Omnes autem qui per discordiam separantur a viriditate dilectionis arescunt, qui etsi bonum opus fructus in suis actionibus proferunt, profecto nulli sunt, quia non ex unitate caritatis oriuntur. Hinc ergo perpendant seminantes iurgia quam multiplicitate peccant. Qui dum unum nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus caritatem simul virtutes eradicant. In uno enim malo innumera perpetrant, qui seminando discordiam caritatem que mater virtutum est omnium extinguunt. Quia autem nihil est preciosius deo virtute dilectionis, nihil est desiderabilius dyabolo extinctione caritatis. Quisquis ergo seminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hosti dei familiarius servit, quia quod ille amissa tendit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eius iter ascensionis abscindit. Job li° 24

Numquid non sapientia clamitat et prudentia dat vocem suam. In ca° 21

Numquid non sapientia clamitat et prudentia dat vocem suam in summis excelsisque verticibus super viam in mediis semitis stans. Transire fortasse per viam vite temporalis cum eius